

divinas leges pessumdat et frangit, neque audit filiorum agentium animas miserabiles gemitus, neque Dei voces extrema rerum incommoda minantis. Aut fortassè placere voluit Achab, qui Deum contempserat, coluerat vitulos, et ad hæc Sidoniorum deo templum et aras excitarat. Putabat enim gratum se futurum principi, ad ejus amicitiam et gratiam aspirabat, si cœlestium minarum et prædictionum se contemptorem ostenderet, quasi pluris faceret, quòd regi temerario et stolido, quàm vero et patrio Deo placuisset; neque quicquam habere pensè quòd filii in illius operis molitione perierint, dummodò regi suo gratum aliquod obsequium impenderet. Quod faciunt, prohi dolor! hoc tempore aulicorum plurimi, qui, ut captent captamque retineant principum gratiam, non illos ab impio, stultoque conatu pietas, non filiorum amor, insitus à naturâ, non pudor, non gravia populi judicia retardant. Quos exsanguis vides, egentes, Deo atque hominibus invisos, quasi illis fatale foret odiosos, et miseros perire, à principum aulis, imò à principum nutu non recedunt.

Sed rogabit quispiam, cur tam dirum supplicium indictum priùs à Josue, jubente nimirum Domino, ut habemus hoc loco (*juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Josue filii Nun*) et postea inflictum extinctis filiis ejus, qui antiquas civitatis ruinas excitare voluit?

CAPUT XVII.

1. Et dixit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad ad Achab: Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto, si erit annis his ros et pluvia, nisi juxta oris mei verba!

2. Et factum est verbum Domini ad eum, dicens:

3. Recede hinc, et vade contra orientem, et abscondere in torrente Carith, qui est contra Jordanem;

4. Et ibi de torrente bibes, corvisque præcepi ut pascant te ibi.

5. Abiit ergo, et fecit juxta verbum Domini; cùmque abiisset, sedit in torrente Carith, qui est contra Jordanem.

6. Corvi quoque deferebant ei panem et carnes manè, similiter panem et carnes vesperè; et bibebat de torrente.

7. Post dies autem siccatus est torrens; non enim pluerat super terram.

8. Factus est ergo sermo Domini ad eum, dicens:

Alias mitto rationes, quas apud Josue interpretes curiosus lector inveniet, et dico illam mihi videri gravissimam, maximèque formandis moribus opportunam, quia Deus civitatem illam non humanâ potentiâ, seu industriâ subvertit. Non enim catapultarum, aut saxorum verberatione, sed circumductâ septies arcâ, et tubarum clangore muri ceciderunt Jerichuntini; quod autem Deus excidit, excitare illud velle tutum non est: secus est si hominum industriâ ac manu eversa sit civitas, aut abrogatæ leges, aut dejectum aliquid, quod hominum consilium et labor excitavit: id enim non solum permittente, sed etiam jubente atque probante Domino, è lapide quasi redivivo renovari potest. At excitare velle, quod dissipavit et disturbavit Deus, inanis omninò est, et perniciosus labor. Quemadmodum si quis velit excitare Pentapolim, quam cœleste jam olim absumpsit incendium. Sunt à Deo multa sive docente verbis, sive monente damnata, qualia sunt quæ Joannes Epist. 1, c. 2, concupiscentiam appellat carnis, concupiscentiam oculorum et vitæ superbiam. Hæc à Deo damnata sunt æquo severoque judicio, et funditus eversa; si quis illa excitare velit, et in illum statum, ex quo exciderant, revocare, ille dignus est cujus intereat soboles, id est, pereant opera atque consilia, et nomen à viventium numero deleatur.

CHAPITRE XVII.

1. Et Elie de Thesbé, qui était un des habitants de Galaad, dit à Achab: Vive le Seigneur Dieu d'Israël, devant lequel je suis présentement! il ne tombera pendant ces années ni rosée ni pluie, que selon la parole qui sortira de ma bouche.

2. Le Seigneur s'adressa ensuite à Elie, et lui dit:

3. Retirez-vous d'ici; et allez vers l'orient et cachez-vous sur le bord du torrent de Carith, qui est vis-à-vis le Jourdain.

4. Vous boirez là de l'eau du torrent, et j'ai commandé aux corbeaux de vous nourrir en ce même lieu.

5. Elie partit donc, selon l'ordre du Seigneur, et alla demeurer sur le bord du torrent de Carith, qui est vis-à-vis le Jourdain.

6. Les corbeaux lui apportaient le matin du pain et de la chair, et le soir encore du pain et de la chair, et il buvait de l'eau du torrent.

7. Quelque temps après le torrent sécha, car il n'avait point plu sur la terre.

8. Et alors le Seigneur lui parla en ces termes:

9. Surge, et vade in Sarephtha Sidoniorum, et manebis ibi; præcepi enim ibi mulieri viduæ ut pascat te.

10. Surrexit, et abiit in Sarephtha. Cùmque venisset ad portam civitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna; et vocavit eam, dixitque ei: Da mihi paululum aquæ in vase, ut bibam.

11. Cùmque illa pergeret ut afferret, clamavit post tergum ejus, dicens: Affer mihi, obsecro, et buccellam panis in manu tuâ.

12. Quæ respondit: Vivit Dominus Deus tuus! quia non habeo panem nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydriâ, et paululum olei in lecytho. En colligo duo ligna, ut ingrediar et faciam illum mihi et filio meo, ut comedamus, et moriamur.

13. Ad quam Elias ait: Noli timere, sed vade, et fac sicut dixisti; verumtamen mihi primùm fac de ipsâ farinulâ subcineritium panem parvulum, et affer ad me; tibi autem et filio tuo facies postea:

14. Hæc autem dicit Dominus Deus Israel: Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur usque ad diem in quâ Dominus daturus est pluviam super faciem terræ.

15. Quæ abiit, et fecit juxta verbum Eliæ: et comedit ipse, et illa, et domus ejus; et ex illâ die

16. Hydria farinæ non defecit, et lecythus olei non est imminutus, juxta verbum Domini quod locutus fuerat in manu Eliæ.

17. Factum est autem post hæc, ægrotauit filius mulieris matris familiâs, et erat languor fortissimus, ita ut non remaneret in eo halitus.

18. Dixit ergo ad Eliam: Quid mihi et tibi, vir Dei? ingressus es ad me ut rememorarentur iniquitates meæ, et interfices filium meum?

19. Et ait ad eam Elias: Da mihi filium tuum. Tulitque eum de sinu ejus, et portavit in coenaculum ubi ipse manebat, et posuit super lectulum suum.

20. Et clamavit ad Dominum, et dixit:

9. Levez-vous, et allez à Sarephtha, ville des Sidoniens, et demeurez-y; car j'ai commandé à une femme veuve de vous y nourrir.

10. Elie se leva et alla à Sarephtha. Lorsqu'il fut venu à la porte de la ville, il aperçut une femme veuve qui ramassait du bois; il l'appela, et lui dit: Donnez-moi un peu d'eau dans un vase, afin que je boive.

11. Comme elle allait lui en quérir, il lui cria derrière elle: Apportez-moi aussi, je vous prie, dans votre main une bouchée de pain.

12. Elle lui répondit: Vive le Seigneur votre Dieu! je n'ai point de pain, j'ai seulement dans un pot autant de farine qu'il en peut tenir dans le creux de la main, et un peu d'huile dans un petit vase. Je viens ramasser ici deux morceaux de bois, pour aller apprêter à manger à moi et à mon fils, afin que nous mangions et que nous mourions ensuite.

13. Elie lui dit: Ne craignez point. Faites comme vous avez dit; mais faites pour moi auparavant, de ce petit reste de farine, un petit pain cuit sous la cendre, et apportez-le-moi; et vous en ferez après cela pour vous et pour votre fils;

14. Car voici ce que dit le Seigneur Dieu d'Israel: La farine qui est dans ce pot ne manquera point, et l'huile qui est dans ce petit vase ne diminuera point, jusqu'au jour auquel le Seigneur doit faire tomber la pluie sur la terre.

15. Cette femme s'en alla donc; et, animée de la foi, elle fit ce qu'Elie lui avait dit. Elie mangea, et elle aussi avec toute sa maison. Et depuis ce jour-là,

16. La farine du pot ne manqua point, et l'huile du petit vase ne diminua point, selon que le Seigneur l'avait prédit par Elie.

17. Il arriva ensuite que le fils de cette femme, mère de famille, fut atteint d'une maladie si violente qu'il expira.

18. Cette femme dit donc à Elie: Qu'y a-t-il entre vous et moi, homme de Dieu? Êtes-vous venu chez moi pour renouveler la mémoire de mes péchés et pour faire mourir mon fils?

19. Elie lui dit: Donnez-moi votre fils. Et, l'ayant pris d'entre ses bras, il le porta dans la chambre où il demeurait, et le mit sur son lit.

20. Il cria ensuite au Seigneur, et lui dit:

Domine Deus meus, etiamne viduam apud quam ego utcumque sustentor afflixisti, ut interficeres filium ejus?

21. Et expandit se, atque mensus est super puerum tribus vicibus, et clamavit ad Dominum, et ait: Domine Deus meus, revertatur, obsecro, anima pueri hujus in viscera ejus.

22. Et exaudivit Dominus vocem Eliæ; et reversa est anima pueri intra eum, et revixit.

23. Tulitque Elias puerum, et deposuit eum de cœnaculo in inferiorem domum, et tradidit matri suæ, et ait illi: En vivit filius tuus.

24. Dixitque mulier ad Eliam: Nunc in isto cognovi quoniam vir Dei es tu, et verbum Domini in ore tuo verum est.

COMMENTARIUM.

VERS. 1.—ET DIXIT ELIAS THESBITES DE HABITATORIBUS GALAAD AD ACHAB. Nihil hactenus dictum fuerat de Eliâ, quem modò quasi ex abrupto, et inopinato erupisse videmus contra regem Achab, ut illius in omne impietatis atque intemperantiæ genus audaciam præcipientem cohiberet. Quia verò de hoc illustri viro multa nobis, eademque admodum illustria commemoranda sunt tam in hoc quam in sequenti libro, non putavi esse sine magno operæ atque studii pretio, aliqua hic breviter hinc inde collecta conferre, quæ aut in his duobus libris nullo modo, aut quæ non nisi admodum obscurè cognoscimus.

Prophetam esse Eliam nemo negavit unquam, neque dubitavit, cujus memoria non in veteri solùm Testamento clara, sed etiam in novo, quam excitavit Joannes Baptista illi in vivendi formâ quàm simillimus, et Christus, dum illum secum in transfiguratione apparere voluit, et de illo non semel honorificè locutus est. Illius præclarum habemus elogium Eccl. c. 48, quod nos, dum occasio tulerit, commodius explicabimus.

Fuisse ex tribu Levi, imò et sacerdotem magnum, nonnulli putant. Ex familiâ Aaron ortum esse dicunt Simeon Metaphrastes apud Surium, Dorotheus in Synopsi, D. Joannes episcopus Hierosolymitanus cap. 1, tomo 9 Bibliothecæ, Isidorus de Vita et Morte sanctorum, Epiphanius de Vita et Interitu sanctorum; quorum aliqui dicunt civitatem Thisbi, à quâ illum denominatum esse putant, civitatem

Seigneur mon Dieu, avez-vous aussi affligé cette veuve, qui a soin de me nourrir comme elle peut, jusqu'à faire mourir son fils?

21. Après cela, il s'étendit sur l'enfant par trois fois, en se mesurant à son petit corps; et il cria au Seigneur et lui dit: Seigneur mon Dieu, faites, je vous prie, que l'âme de cet enfant rentre dans son corps.

22. Et le Seigneur exauça la voix d'Elie; l'âme de l'enfant rentra en lui, et il recouvra la vie.

23. Elie ayant pris l'enfant, descendit de sa chambre au bas de la maison, le mit entre les mains de sa mère, et lui dit: Voilà votre fils en vie.

24. La femme répondit à Elie: Je reconnais maintenant, après cette action, que vous êtes un homme de Dieu, et que la parole du Seigneur est véritable dans votre bouche.

esse credunt sacerdotalem. Ego de genere ac patriâ nihil habeo, nisi obscurum admodum; tantum enim lego fuisse de habitatoribus Galaad, sed ibi duæ tribus Gad et Ruben, et dimidia tribus Manasse suos habuere funiculos, ut constat ex Numer. cap. 32. Quare incertum est de quâ istarum familiarum fuerit, cum nihil habeamus de certâ sede ex Scripturâ definitum, neque de civitate Thisbi certum est aliquid, cujus nomen in sacrâ Scripturâ nunquam auditur. Cur Elias vocatus fuerit Thesbites, vide Eliam Germanum in suo Thisbi, ubi de eo nomine multa, vereor ne satis ad veritatem. Quidam Eliæ patriam Theben esse putant, ubi à feminâ quâdam Abimelec occisus esse dicitur. In quo planè infantiliter peccant: civitas enim illa non pertinet ad Galaad, sed est in tribu Ephraim, propè Sichem. Quòd si de civitatis situ non constat, multò minùs de dignitate et gradu, atque idèò non video cur existimetur esse sacerdotalis. Mihi placet quod placuit Abul. q. 1, ubi dicit neque sacerdotem, neque Levitam Eliam fuisse, quòd sanè non tacuisset Scriptura, quæ cum plurimum faciat sacrum illum ordinem, non videbatur omisura, sicut in aliis non omisit. Neque oppositæ sententiæ quicquam favet, nisi eorum quos supra retulit auctoritas.

De parente ac genere nihil habemus certius. Patrem Epiphanius, et Dorotheus, et Joannes episcopus Hierosolymitanus supra appellant Sabacha, sed unde id acceperint non docent, neque fortassè possunt. Illud addunt Meta-

phrastes, Dorotheus, Epiphanius, in ortu Eliæ aliquid accidisse mirabile. Audi in Dorotheo reliquos, qui ab illo ferè nihil dissentiunt: «Cum nasciturus esset Elias, pater ejus Sabacha vidit illum ab Angelis albicantibus salutarari, et igne tanquam fasciis involvi, et flammâ ignis veluti cibo ali, et Hierosolymam profectis rem istam indicavit; dictumque illi est ex oraculo, ne timeret; fore enim ut puer nasciturus in luce habitaret, et quæ diceret firmam sententiam haberent, judicaretque Israellem in gladio et igne.»

De nomine Eliæ aliquid etiam observandum. Hebr. אליהו Eliahu, quem Septuaginta, sicut alia plurima ejusdem formæ, converterunt Eliu, Hebræi Eliahu. Chrysostomus hom. 3 de Eliâ tomo 1, putat significare solem, nempe homo Græcus Græcam spectavit originem: sol enim Græcè dicitur ἥλιος. Quidam hoc solis nomen ortum esse putant ex Eliæ nomine, inter quæ maxima inest similitudo. Aiunt enim idèò à poetis fingi solem vehi in igneo curru, quia in igneo curru sublatus è terrâ fuit Elias. Ita Beda, et ex illo, ut opinor, Angelomus in lib. 4 Reg. cap. 23, ubi carmina quædam adducit ex Sedulio, quæ hoc ipsum indicant. Et dixit apertè Chrysostomus, qui cum ascensum Eliæ descripsisset, addit homil. 3 de Eliâ: «Hinc poetas atque pictores in figurandâ solis imagine exempla sumpsisse credo, qui curru atque equis fulgentibus ipse rutilans atque radians, è fluctu Oceani sublevatus, inter præruptos montium scopulos evadens, quasi ad cœlestia videtur ascendere in similitudinem luminis ejus inductus; sol enim Græco sermone elios appellatur, unde Elias verè elios, quoniam curru atque equis fulgentibus igne de Oceani fluctu, id est, de mundi commotione, per montium scopulos, id est, permagnorum laborum progrediens ad cœlestia directus ascendit.» De hac Græcorum audaciâ, qui verissimas Scripturæ sacræ historias in vanissimas et stultissimas fabulas incluserunt, diximus in nostris Commentariis ad cap. 10 Jonæ, ubi plus satis exemplorum adduximus. Porrò Eliam significare Deum fortem, aut, Deum Dominum, docet Hieronymus.

Virginitatem coluisse perpetuam, communis est veterum Patrum, constansque sententia. Ita Hier. lib. 1 adversus Jovinianum, et ad Eustochium de Custodiâ virgin.; Ambrosius lib. 1 de Virgin.; S. Ephrem non uno loco. Sanè lib. 1, parænesi 4, cœleste donum vocat

castitatem, ad quam exemplo Eliæ alios adhortatur. Domum, inquit, monachi optimum est virginitas, curru ipsum ad cœlos cum Eliâ vehens. De Eliâ quid Gnostici impudentissimè somniaverint, vide Epiphanium.

De patriâ Eliæ diximus nuper, nempe esse in tractu Galaad: quamdiù autem ibi habitaverit, incertum est; habitasse autem aliquandiu, imò et diù, et fortassè non procul ab eo tempore, in quo sese ostendit Achab, illumque et reprehendit acerbius, et famem longam minatus est, satis est verisimile. Et quidem Epiphanius, et Dorotheus supra, Eliam non solùm in regione Galaaditide natum et educatum, sed etiam habitasse tradunt. Neque est improbabile etiam ibi, antequàm in terram, quæ verè promissionis dicitur, aut ipse ultrò, aut certè evocatus à Deo ingrederetur, extra montem Carmelum instituisse aliquam religionis formam, et ibi religiosum habuisse cœtum, quem tamen postea in montem Carmelum secum adduxit. Ubi discipulis, qui postea sæpè filii Prophetarum vocati sunt, monasticæ vitæ novam formam indixit, et ad legitimum Dei cultum religiosi disciplinis excoluit. Fuisse autem plurimos sub hac Eliæ præfecturâ discipulos, hoc etiam tempore, quo primùm in Scripturâ sacrâ sese nobis magnus hic pater ostendit, constat, quia Jezabel sub hoc tempore, in triennali videlicet fame, magnam edidit Prophetarum cædem. Prophetas autem illos esse puto, qui potius ex instituto laudes canerent divinas (sicut de Prophetis aliis diximus Samuelis tempore) quàm qui, quod Prophetarum primum et proprium est, futura prædicerent. Hos verò apertè fuisse Domino consecratos, et religionis veræ certum aliquid insigne præ se tulisse, ex eo constat, quia in illos præsertim grassabatur Jezabel, quæ ut patriis diis honores impendebat divinos, sic eos qui contra facerent ad exitium quærebatur; quare in eos animo verè hostili bacchata est, qui religionem veram profiterentur exteriùs. Illos porrò notos fuisse, atque adeò Eliæ familiares, ex eo fit probabile, quia cap. 19, v. 10, à Deo interrogatus respondit: Altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio, et derelictus sum ego solus. Nempe ex illo Prophetarum cœtu, quos ipse religiosi disciplinis ad veram sanctitatem excoluit, hæc mihi difficilia non sunt, neque cuiquam dubium esse debet viros illos Prophetas, et, ut existimamus, tanti patris in scholâ religiosâ discipulos, veros fuisse martyres, quando

veræ religionis studio amoreque tenaci, de-
testati falsam, sub Jezabele impiâ subiêre mor-
tem. Quàm verò monachorum istorum fuerint
numerosi greges, illud probat, quod cap. 18,
vers. 13, Abdias ait Eliæ, dùm Jezabelis fer-
rum grassaretur hostiliter: *Numquid non indi-
catum est tibi domino meo quid fecerim, cum
interficeret Jezabel Prophetas Domini, quòd abs-
conderim de Prophetis Domini centum viros,
quinguenos et quinguenos in speluncis, et
paverim eos pane et aquâ?*

Ubi hoc tempore viri isti habuerint domici-
lium, incertum est: neque enim certa Eliæ
in Scripturâ invenitur, et quasi propria sedes.
Licet enim in Carmelo occidisse dicatur Pro-
phetas Baal, et ibi precibus à Deo obtinuisse
pluviam, domum tamen ibi habuisse non legi-
mus: imò toto tempore, quo duravit fames,
non videtur adiisse Carmelum; cum enim
famem denunciasset Achab, jussus est à Do-
mino ut secederet ad torrentem Carith, qui
longè aberat à Carmelo, cum hic esset in
tribu Issachar, ille verò in tribu Ephraim.
Deinde post multos dies extra terminos terræ
promissionis habitavit in Sarephtha Sidonio-
rum, ubi à muliere viduâ pastus est tempore,
ut apparet, non exiguo, donec tandem exacto
triennio occurrit Achab, et in Carmelo, post-
quam coeliùs deprehensa est Baalis et religio
vana, et stulta futilitas, et eam ob rem ibidem
sacerdotes interfecti quàmplurimi, ac tandem
orante prophetâ data de cœlo pluvia; ex eo
tempore non legimus Eliam adiisse Carmelum.
Nam cum Jezabelem fugeret, in speluncâ latuit
Oreb, neque alium locum stabilem legimus,
ubi suam Eliam commorationem habuerit, donec
in igneo curru translatus est. Est tamen veri-
simile et ante indictam ab Eliâ famem, et post
sacerdotum cædem, et fugam in Oreb, habi-
tasse Eliam in Carmelo. Neque enim ab Achab
cap. 18, in Carmelo vocantur sacerdotes Baal,
nisi quia ibi tunc erat Elias, quocum futura de
religione concertatio. Et dùm in Carmeli ver-
ticem orationis gratiâ ascendisse dicitur pro-
pheta, nonnullam nobis præbet conjecturam,
ut suspicemur illum in orando familiarem ha-
buisse locum. Abul. lib. 4, c. 1, quæst. 16,
ait in Carmelo Eliam habitationem habuisse
sequestratam à populo, et ibi tunc fuisse
quando, igne de cœlo misso, Ochoziæ milites
interfecit. Quod iterum docuit lib. 4, c. 4,
quæst. 35. Accedit his, quòd Eliseus discipu-
lorum maximus, et pro Eliâ in illorum Pro-
phetarum collegio pater magisterque suffec-

tus, cum fuisset in Jericho, ubi collegium
erat Prophetarum, venisse etiam dicitur in
Carmelum, ut creditum fortassè cœtum invi-
seret, ut habes lib. 4 Reg. cap. 2, vers. 25; et
cap. 4, vers. 25, femina, cujus fuerat mor-
tuus filius, ut Eliseum quæreret, ad montem
Carmelum quasi ad illius familiare domicilium
profecta est.

Ex hoc monte arbitror Eliæ discipulos ha-
buisse nomen et appellatione familiari Carme-
litas vocatos, quia ibi aut primùm, aut plu-
rimùm commorati sunt. Nam toto triennio, quo
fames Israelitidem gentem durè vexavit, nullum
habuit Elias socium, nisi unum aut alterum,
qualis ille servulus fortassè fuit, quem specu-
lari jussit nubeculam ascendentem è mari,
qui filius fuisse dicitur Sarephthanæ viduæ,
quem jam exanimem revocavit ad vitam. Nam
in torrente Carith qui latere posset si socios
secum haberet? aut quomodò illos non depre-
hendisset Achab, qui tanto studio illum in-
vestigarat, et per Israelem totum quosdam
quasi venaticos canes latè disperserat? Quâ
de re Abdias cap. 18, vers. 10, ad Eliam:
*Vivit Dominus Deus tuus, quia non est gens
aut regnum, quò non miserit Dominus meus te
requirens, et respondentibus cunctis: Non est
hic, adjuravit regna singula et gentes, eò quòd
minimè reperireris.* Quis tantum studium et
sedulitatem effugeret, si secum hominum cœ-
tum alligatum haberet? Adde quòd solus vide-
tur fuisse in torrente, quem corvi pascebant,
et inde solus profectus est in Sarephtha Sido-
niorum, ubi à pauperculâ viduâ sustentatus
est. Esto tamen sedem sibi ac suis Elias in
Carmelo non habuerit, quod non puto, quid
obstat discipulos Eliseo auctore excitasse col-
legium, ubi simul viverent, quod ut facerent
multæ illos rationes adduxerunt? Primùm ipsa
loci ad vitæ licet frugale et tenue subsidium,
tum etiam ad orationis otium opportunitas,
tum parentis optimi grata memoria, qui eodem
in loco oratione efficaci et longâ cœlum ape-
ruit, et illum impio sacerdotum sanguine, et
verius sacrificio à Deo accepto per ignem con-
secravit. Cum autem, ut dicemus postea, col-
legia aliis in locis habuerint, et fortassè non
pauca, ab hoc tamen monte multis nobilitate
nominibus Carmelitarum nomen accepere.
Quod etiam fecere nostris seculis religiones
neque paucæ, neque ignobiles, quales sunt
Carthusianorum, Camaldulensium; aliis claræ
atque umbrosæ vallis nomen indidère. Ha-
buisse autem aliis in locis cœnobîa, id est,

communes domus, Eliæ Eliseique discipulos,
satis constat. Nam primùm propè Jerichuntem
habitasse, aut in ipsâ fortassè civitate, do-
cemur lib. 4, cap. 2, ubi, quò commodior
esset civitatis habitatio, sanata sunt ab
Eliseo aquæ, ne in posterum essent insalu-
bres. Fuerunt etiam in Galgalis ibidem v. 4,
unde egressi sunt Elias et Eliseus, quando
jam instabat ex hominum convictu prodigiosa
translatio. Fuerunt in Bethel, v. 5; de Jericho
habes iterum ibidem v. 5. Quærît autem Abu-
lensis, lib. 4 Reg. quæst. 13, cur Elias ante
suum discessum loca hic commemorata iustra-
verit? Respondet autem id facere voluisse,
quia ibi erant filiorum Prophetarum certa
quædam collegia, qualia nunc sunt religiosorum,
quorum ille pater erat et princeps. Et
sanè ita decebat, ut in extremo digressu sa-
lutaret filios, eosque ad severum illud vitæ
curriculum, quod ingressi fuerant, sanctè at-
que legitimè conficiendum urgeret.

Cum tot essent discipulorum Eliæ excitata
cœnobîa, non est difficile in Carmeli montem
deductam esse quamdam quasi coloniam, quæ
quia in loco tot nobilitate miraculis, et ipso
Eliæ nomine, et sacrificiis illustri, principem
tandem locum inter reliquas Prophetarum do-
mus obtinuit. Quod curâsse Eliseum verisimile
est, cum tot à magistro esset ornatus modis,
neque beneficiis notari vellet ingratus et im-
memor, à quo loco ille sanctorum ordo acce-
pisse videtur nomen, et qui institutum illud
sunt complexi, Carmelita vocati. Hinc, opi-
nor, ortum habuerunt antiquum et nobilem,
qui nostro ævo Carmelita dicuntur, viri reli-
gionis gloriâ et vitæ sanctitate conspicui.
Quod ut credam facit non solum illius ordinis,
sed et omnium penè gentium constans et
perpetua traditio. Et quidem si ab hac meâ
cogitatione nihil staret præter traditionem
omni memoriâ superiorem, satis putaretur
habere præsidii, quia communis conspirans-
que consensio nullo interrupta tempore eam
habet auctoritatem, quam nulla, nisi magna
fides convellere aut infirmare posset. Quâ de
re nos pluribus in nostro libello de adventu
S. Jacobi in Hispaniam tract. 2. Sed præter
traditionem, quæ, ut diximus, constans exi-
stimatur atque perpetua, sunt alia multa quæ
ad hanc cogitationem plurimum afferunt mo-
menti, doctorum nimirum, non tantum ex illâ
religiosâ familiâ, quorum ingens numerus, sed
externorum, quos longum esset numerare gravi
auctoritas; et tam veteres quàm recentes histo-

riæ, et sacri ordinis antiqua monumenta. Acce-
dit ad hæc à Pontificum judicio gravissimum
pondus, qui sacrum hunc ordinem ab Eliæ disci-
plinâ atque instituto exordium habuisse tes-
tantur. Ita sanè apertè in suis bullis Sixtus
quartus, Julius secundus, Gregorius decimus
tertius, Clemens octavus, qui dicunt Carme-
litanæ familiæ viros ab Eliâ atque Eliseo
hæreditariam successionem tenere. Hæc mihi
gravissima sunt, neque desunt alia neque
pauca, neque levia, quæ, si Carmelitanæ
causæ vindicem agerem, libens adducerem, à
quibus in præsentia abstineo, ne ab inter-
pretis munere (quod longas digressiones non
admittit) defecisse videar. Plura nobis dicenda
sunt de Eliâ, quæ in commodiorem locum re-
servamus.

ET DIXIT ELIAS THESBITES (1). Cur hoc loco

(1) Inter apocryphas commentationes reji-
cienda sunt ea quæ de prodigio ortûs illius,
de nomine patris ejus *Sabacha*, de dignitate
sacerdotis è stirpe Aaronis feruntur. Veteres
quidam Eliæ nomen derivârunt è Græco *helios*,
sol, sed minùs accuratâ etymologiâ. Elias, vel
Elihu, Hebraicè est *Deus fortis*, vel *Dominus
Deus*. Contendunt Hebræi, sed temere, Phi-
neem filium Aaronis post diurni temporis
latebras tandem sub Eliæ nomine prodisse.

SI ERIT ANNIS HIS ROS ET PLUVIA, NISI JUXTA
ORIS MEI VERBA. Miram fiduciam prophetæ!
Conferat hic aliquis quæcumque paganorum
superstitio fingere potuit prodigiosa, cum
auctoritate istâ propheticâ. Elias cœlum ad
arbitrium claudit spatio trium annorum et
dimidii. Tantâ verborum constantiâ, absolutâ
adeò potestate, ut certò spondeat regi futurum
ut ne gutta quidem seu roris seu imbris manet:
Verbo Domini continuit cœlum. Facile hinc erat
Achabo colligere hanc ariditatem ab alterâ
quàm naturali causâ inductam fuisse; affir-
mabat enim Elias, pleno arbitrio suo permis-
sum fuisse à Deo sive imbrem deducere sive
retinere. (Calmet.)

Quæres cur Deus suscitârît Eliam, eumque
miserit ad Achab? — Resp., ut ejus æquè
ac Jezabelis ardorem in propagandâ idololatriâ
reprimeret et restingueret, ac Israelem in
verâ unius Dei fide et religione conservaret,
ideòque eum armavit zelo et spiritu fortitudi-
nis admirabili, ut solus ipse se opponeret ty-
rannis, sacerdotibus et idololatriis omnibus.
Sic Pharaone opprimente fideles Hebræos,
Deus suscitavit Moysen, qui se illi opponeret,
et populum ex ejus servitute educeret. Sic
Jeroam vitulos pro diis erigenti opposuit
Ahiam prophetam, Manassi Isaiam, Antiocho
Machabæos. Sic toti orbi penè Ariano unum
opposuit Athanasium fidei orthodoxæ attan-
tem, Pelagianis S. Augustinum, Nestorianis
S. Cyrillum, Iconomachis S. Joannem Da-
mascenum, Albigenis S. Dominicum, Lu-
theranis et Calvinistis, S. Ignatium et similes.
Fuit ergo Elias (quod S. Bernard. scribit Eu-
genio pontifici in fine lib. 4 de Consider.),
et forma justitiæ, sanctitatis speculum, pie-